



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

§. 10. De effectu appellationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

lationibus utitur, vel aliis mediis impedit appellan-tem. Cum enim in hoc casu nulla sit culpa appellantis, æquum est ut tempus illi proregetur ad complendam intentionem suam.

Tertia ex parte utriusque, ut si compromittant in arbitros, vel peregrinationem aliquam communi voto suscipiant.

Quarta ex parte Iudicis, qui à tribunali abest, morbo aliove negotio intricatus, nec alium suo loco possit substituire.

Quinta ex parte alicuius tertii, qui intervenit propter suum interesse, vel etiam ipsius procuratoris.

Sexta denique in Casu, & Fortuna est, quæ cum in nostra potestate non sint, imputari ad culpam, & damnum non debent. Quamobrem aliquando tertius quoque annus, ut *num. 1.* diximus, adicitur, cum gravis causa & necessitas exigit.

Addit *Gall. l. 1. obs. 141. n. 4.* etiam partium consensu prorogari posse tempus, seu fatalia prosequendæ appellationis. *Clem. Quamdiu iun. Glo.*

In Camera Imperiali quoque nec eiusmodi fatalia appellationis prosequendæ, nec fatalia primæ instantiæ, puta triennii in causis simplicis querelæ currere: ita ut *lex Properandum. C. de iudic. & Auth. Et qui C. de appellat.* in Camera nullum locum habeant, idque propter multitudinem causarum. Tempora verò interponendæ, & introducendæ appellationis diligenter attendi. Si tamen eiusmodi tempora prosequendæ appellationis coram

inferioribus iudicibus servata non sine appellatio in Camera tanquam deserta non recipitur. *Auth. Et qui. C. de appell. Ita Gall. cui assonat Mynsing. Cen. 3. obs. 54.*

§. 10.

De Effectu Appellationis.

I. Effectus appellationis duplex est, sententiam definitivam devolvere, aut suspendere. Devolvit avocando causam in manus superioris Iudicis suspendit non auferendo iurisdictionem, sed sententiam & executionem impediendo. *c. Sape 44. hoc tit. c. si à Iudice eod. tit. in 6.*

Neque enim interim mundati executioni potest: & permittitur utrique parti apud Iudicem appellationis ea probare, quæ ante probata non fuerunt, & producere, quæ ante producta non fuerunt. *c. Cum Ioannes 10. de fide instrum. c. fraternitatis, de testibus,* modò principali causæ serviant, & iudicium retrò actum impugnent. Nam dilationes, denegatæ condemnationes expensarum, & id genus alia hic minimè reperenda sunt. *c. fin. hoc tit. l. Ita demum. c. 3. C. de procur. & ibid. Bart.*

Hinc consequitur alius effectus nihilo minor, quod pendente decennio, & appellationis iudicio nihil innovandum est in causa, sed in eo statu cuncta relinquenda, in quo erant tempore introducendæ, vel introductæ appellationis. *l. un. ff. Nihil innovari appell.*

appellationis interpos. Nam & periculum fraudis est, & suspensio effectum operari debet. *c. Cum inter de sent. & re iud. l. ult. §. Sin autem. C. de tempor. appellat. Cardin. Tuschus Concl. 371. Viuanus in c. Dilecti hoc tit. Silv. v. appellatio n. 1. Layman l. 6. Tr. 6. c. 6. n. 5.*

II. Si pendente appellatione vel iudex, vel de partibus quis aliquid innovarit, seu attentarit, per Iudicem appellationis illicò cassari, & revocari debet. Quod etiam in extrajudiciali appellatione locum habet, cum hoc discrimine tamen, quod in appellatione iudiciali revocantur omnia, licet non sint directè contra appellationem, in extrajudiciali verò ea tantum, quæ sunt directè contra appellationem. *l. Sciendum ff. de appell. recipiend.*

Cæterum revocatio attentatorum in qualibet iudicii parte fieri potest usque ad conclusionem in causa. Petitur autem vel implorato Iudicis officio vel accessoriè prosequendo appellationem. Nulli præterea magis, quàm appellanti innovatio nocet. Nam si adversarium suum ex gr. possessione, de qua litigatur, spoliat eo ipso, ut sibi cõtrarius cõterur nõ deferre appellationi à se factæ, seque indignum beneficio Iudicis efficit, ut quicuius sibi potestatem atroget. *c. Bone memoria. de elect. l. Auxilium. §. fin. ff. de minoribus l. Sciendum. ff. de appellatio: recipiend. Marant. num. 161. & seq. Phil. Francus in c. suggestum. hoc. tit. Vvesenbec. l. 49. ff. tit. 1. num. 10. Barb. in c. Non solum hoc tit. Hercul. de attent. cap. 29.*

III. Non censetur attentare *Primo*, qui iure suo utitur, continuando verbi gratia possessionem vel percipiendo fructus ex sua re.

Secundo, qui non proposita proponit vel non probata probat.

Tertio, qui tertium convenit, absque incommodo alterius partis.

Quarto, qui ex causa nunc primum emergente debitorem suum capit.

Quinto, qui post latam excommunicationem, & super ea appellationem nihilominus denunciatur excommunicatum, ut ab aliis vitetur.

Sexto Nec Iudex, qui quia frivola, & inanis appellatio est, ad executionem procedit.

Denique generaliter potest Iudex interim, dum suspendet, ea procurare, quæ serviunt ad faciliorem causæ determinationem, dummodò se non immisceat appellationi. *Specul. in tit. de appell. §. Novissimè.*

Addit *Maranta*, quamvis in casu, in quo appellatio iure prohibetur, attentata non revocentur, revocari tamen posse per viam querelæ à superiori. *V. Barb. inc. 72 si iustus. hoc tit. & c. Non solum eod. in 6. Francus in c. Dilecti hoc tit. Hercul. de attentatis c. 29. ubi multa alia reperies. Tuschus. Concl. 376. Hartman. l. 2. obs. 20.*

IV. Quod n. r. diximus appellatione suspendi executionem sententiæ latæ in multis casibus fallit, quorum aliqui in superioribus indicati sunt.

Primo fallit in visitatione & correctione episcopi, ubi nulla exemptio, inhibitio, appellatio, seu querela
etiam

etiam ad sedem Apostolicam interposita executionem eorum, quæ mandata decreta, aut iudicata fuerint, ullo modo impedit aut suspendit. *Conc. Trid. sess. 24. c. 10.*

Secundo. Fallit in correctione non excessiva regularium. Neque enim ullum effectum attendit appellatio religiosi adversus prælati sui correctionem regulæ conformem operatur. *c. inrefragabili de off. iud. ord. c. ad nostram de appellat. V. supra hoc titulo §. 12. Sylv. num. 9 Armilla num. 19.*

Tertio Fallit in sententia dotis ab uxore vel marito petita, à qua non admittitur appellatio, quoad effectum suspensivum, sed devolutivum tantum. *Menochius in rem. 4. adipisc. possessione numero 829.*

Quarto in causa mercedis, & qua quis condemnatur ad solvendum salarii famulis. *Redoanus. de Simonia menti. parte secunda c. 25. Gratianus decisione 53.*

Quinto in causis piis subsidii charitativi, pensionis assignatæ loco alimentorum, ubi nulla procuratio effectum suspensivum habet. *Surdus de privilegio cause piæ privileg. 6. numero 7. Antoninus par. 3. tit. 9. c. 12.*

Sexto in causis, quæ acceleratione indigent, & moram oderunt. *Ibid. num. 10.*

Septimo fallit in causis præcedentibus *Stephanus Gratianus decisione 232.*

Octavo. In decreto Episcopi visitantis confraternitatem laicorum, & compellentis administratores ad computum *Gratianus ibid.*

Nono. In sequestratione facta circa

bona maioratus. *Sebast. Nav. ad l. 7. ff. si quis, & à quo appellatur n. 80.*

Decimo in sententia lata super præstatione decimarum, cum certa, ac determinata pars solvenda est: ob eam causam signatura committere negotiorum appellacionis solet cum clausula sine retardatione solutionis decimarum, quæ interim lite pendente solvi debent. *V. sup. §. 4. n. 3.*

Vndecimo idem valet de sententia de solutione pensionis auctoritate Apostolica reservatæ. Regulariter enim non suspendit iudicatum, & similiter apponi solet prædicta clausula, sine retardatione solutionis pensionis. *V. Gomes. in comp. utriusque signat. numero 89. & Franc. Leon fori eccles. Par. 2. c. 27. num. 42. & seqq.*

Denique appellatio à sententia non conditionatam excommunicationis, & quæcunque alia habente paratam executionem nunquam suspendit effectum. *c. si cui de sent. excomm. in 6. Barb. in c. ut debitus honor hoc tit. Maranta in actu 2. n. 162. & seq. Avila de Censuris par. 2. disp. 5. dub. 11. Silvest. V. excomm. §. ult. n. 2. V. infra tit. 16. §. 2. n. 6. cum DD. ibid. allegatis.*

V. Affinis appellacioni *reductio* est, quæ locum habet in laico arbitrio, à quo quia non datur appellatio propter compromissum *l. i. c. de recept. arb. petitur resumptio*, & quasi novum arbitrium. Illam instituendam esse apud iudicem rei, seu condemnati, qui ordinarius est causæ, de qua agitur, existimat *Maranta pag. 261 & durare facultatem petendi, usque ad 30. annos, non tamen contra laudum iuratum, quando*

dolensio modica est. Si autem valde enormis sit, non obstat iuramentum, quia cum tali conditione censetur editum. *Alex. Consil. 31. Socinus Consil. 220 Decius Consil. 11. Gaill. l. 1. obs. 1. n. 49. Parnorm. in c. Cum dilectus. n. 17.*

Theologi verò consulunt, ut in tali eventu pro maiore animi, & conscientie securitate peccatur absolutio à iuramento, in qua danda Episcopus facilem se præbere debet. *Bald. in l. fin. C. de non numer. pecun. Silvest. V. Iuram. §. 5. num. 3. Armilla n. 20. Az. l. 1. l. 11. c. 9. q. 5. l. 6. c. 42. n. 62.*

§. II.

Satisfit Dubiis de appellatione.

Dub. 1. Vtrum appellatio sit iuris naturalis?

R. Esse quoad substantiam, seu quatenus est defensio, seu medium contra ignorantiam, & iniquitatem iudicii: quoad solennitatem verò ut hodie fit, iuris humani tantum censeri, Quamobrem in *Clem. Pastoralis. de sentent. & re iudic.* defensio adversus crimen delatum à iure naturali provenire dicitur, adeoque prohiberi non potest. Item *l. Vi vim. ff. de iust. & iure.* Quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, iure fecisse existimatur. *Socin. Reg. 442. & seq. Valent. 2. 2da. Disp. §. 9. 13. pun. 3. Schyvanmann. de diff. ferent. l. 1. Ciu. & Camer. Differ. 16. Silvest. num. 2. Armilla eod. Barb. in c. Ad nostram. 3. de appellation. Rosella. num. 1.*

Hinc patet resolutio ad illam Questionem. An statuto aliquo, vel consuetudine tolli appellatio queat. Nam quoad solennitatem extrinsecam, & conditiones arbitrio legum inventas & præscriptas omnino aboleri potest. Minimè verò quoad ius defensionis, quod cuique pro depulsione iniuriæ & conservatione bonorum suorum Natura largitur. *l. 1. ff. de appellat. Petr. Follelius in Prax. Censuali pag. 526. Card. Lugo Disp. 40. §. 3. num. 30. Sanchez. l. 6. Consil. c. 4. Dub. 2. Tuschus Consil. 399.*

Dub. 2. An valeat appellatio alter-nativa?

Respondet *Steph. Gratianus in Decisione 199.* iure Canonico non valere. v. gr. Appello ad Archiepiscopum, & quemlibet iudicem competentem: nisi infra terminum datum ad appellandum determinetur, & declaretur, coram quo quis velit prosecui appellationem: licet iure civili valeret sine omni declaratione cum intelligatur de proximo. *Felin. in c. 2. de appell.* Idem dicendum de appellatione indefinite, & simpliciter, videlicet *Ad iudicem competentem.* Cum enim plures esse possint, facienda declaratio est.

Limita, quando ad unum ex ipsis tantum potuisset appellari. Tunc enim absque omni declaratione valebit appellatio. Vnde in eo, qui non recognoscit vllum superiorem, præter summum Pontificem, alternativa appellatio valet. Appello ad summum Pontificem, vel alium quemcunque Iudicem competentem. Idem fiet, si ad duos appelletur, quorum uterque competens est.

y

Gloss.